



Sed & hoc luculentius adhuc per machinæ nostræ obseruationem perspicitur, vt in corollario sequenti latius explicabitur. Dicimus ergo, quod fontis repletionis & diminutionis causa primaria & immediata sit frigus & calor, de quib. antea satis superq; locuti sumus; nã frigoris natura est spiritus cõdensare, atq; proinde eos in locũ vastiorẽ dilatatos, in sedem arctiorẽ per viam cõgelationis congregare. Hinc inde accidit, quod extrema frigiditas hyemis contrahit aerẽ in gelu, & niues, & grãdines, & nubes, & contractione aeris in eius cẽtro, aer etiã in sua cõtractione eleuat è suis cauernis, per venas, quarum orificia in fontium viscera penetrare solent, maximam aquæ quantitatem, ne vacuum admitteretur, atq; ita radicaliter nutriuntur flumina: Et quidem hoc aliter se habere non potest, quoniam tanta est inter aerum & aquam propinquitas & concatenatio, vt contracto aere prius dilatato, necesse sit, vt ipsa aqua in visibili & tota sua natura, sursum spetendo, immediate sequatur, ne vacuum admittatur in rerum natura; quemadmodum ex multis Heronis experimentis spiritalibus lucide explicatur, atq; demonstratur: Et præcipue in obseruatione experimenti nostri in fine capitis 6. lib. 1. Tract. 1. De Macrocosmi principiis, vbi globus A. aere repletus est: At hic aer solis radiis subtiliatus per tubam B. E. F. emittit portionem sui in vas C. G. at absentia solis aer in globo se iterum condensans attrahit ad se tantum aquæ vasis. G. per tubam F. E. B. quantum egressus est aeris subtiliatione facta quod ni perficeretur, in natura illud monstrum horrendum, Vacuum scilicet sequeretur. Experimenti descriptio est huiusmodi.